



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari
peccatum veniale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

abiurare debeant de leui, vel etiam de vehemēti, videri possunt Auctores plures, quos latē congerit de his in praxi tractans Diana p. 4. tract. 7. de penis delictorum ad S. Officium pertinentium resol. 3. & 34. An verò ob negationem fidei merè externam incuratur aliqua irregularitas, vel suspensio, dicemus infra disp. 25. sect. 2. in fine. Nunc tamen, antequam veniamus ad præceptum affirmatiuum confessionis fidei, & ad alia dubia circa vtrumque præceptum, examinandum occurrit dubium vnum morale, an in hoc præcepto negatiuo circa fidei negationem possit dari leuitas materiæ excusans è peccato mortali externo, quando deest dissensus, & infidelitas interna.

SECTIO III.

An circa negationem externam fidei in re parui momenti possit dari peccatum veniale.

45

CAsus est satis frequenter occurrens, & parum examinatus, v.g. aliquis concionator, vel in concione, vel priuato sermone dicat. Adamum vixisse tot annos, cum tamen constet ex Scriptura vixisse vno anno minus: vel dicat. Dauidem habuisse tot filios, cum habuerit pauciores, an esset peccatum graue, an leue ob materiæ paruitatem.

Suppono primò, si esset circa aliquid pertinēs ad dogmata Christianæ fidei, vel honorem Dei, vel morum integritatem, aut de quo esset controuersia cum hæreticis, & oporteret sanam doctrinam explicare, fore graue peccatum, & mendacium perniciosum, siue id fieret ex industria, siue ex culpabili ignorantia. Suppono secundò, in casu quæstionis non dari assensum internum contra obiectum reuelatum: alioquin non est dubium, quin assensus contra obiectum reuelatū, quantumvis leue, scienter præstitus esset peccatum hæresis, & destructiuum fidei, vt docent Doctores omnes, quos latē congerit Diana 5. part. de paruitate materiæ resolutione 28. Dubium ergo solum procedit de narratione merè externa alicuius historiæ sacræ cum aliqua leui circumstantia, quæ sit contra veritatem historiæ: in quo etiam casu idem dicendum videtur, siue id dicatur scienter, siue ex ignorantia, vel negligentia culpabili: nam sicut auctoritas Dei postulat fidelitatem, ita etiam aduertentiam in referendis fideliter rebus à Deo reuelatis.

46

Sententia negatiua.

Pro parte negatiua, quod scilicet non detur paruitas materiæ, videtur esse auctoritas communis Doctorum; nam licet in terminis non disputent de hac quæstione, docent tamen generaliter, in materia fidei mendacium esse peccatum mortale. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 141. & cap. 18. num. 4. Caietanus in summa verbo prædicatorum peccata. Ledefina 2. part. summa tract. 18. cap. 2. in fine. Emmanuel Sa verbo predicare, num. 4. & alij Summistæ communiter ex S. Thoma 9. quæst. 110. art. 4. vbi etiam Caietanus.

Secundò probatur ratione, quia iste homo saltem exterius opponit se auctoritati diuinæ negando aliquam veritatem reuelatam: Deo autem non solum sit grauis offensa, negando eius veritatem in graui, sed etiam in re leui: vtrumque enim pariter Deo repugnat.

Confirmatur, quia in materia periculi non datur veniale ex paruitate materiæ, eo quod tam repugnat Deo testificari mendacium leue, quam graue; & ideo in vtroque grauius offenditur Deus: ergo similiter grauius offenditur Deus, si afferatur pro auctore rei falsæ etiam leuis, quod fieri videtur, quando dicis, Scripturam sacram asserere talem circumstantiam, quæ tamen est falsa.

Tertiò probatur, quia talis Concionator proponit, vt reuelatum à Deo id, quod non est reuelatum; ex quo fit, vt moueat auditores ad conandum, quantum est de se, credere illud obiectum fide diuinæ, quod videtur graue malum: si aut si scienter proponeres populo adorandum hostiam non consecratam, nam huius malitia et videtur esse, vt proponatur pro materia, & obiecto religionis id, quod non est materia; ergo similiter esset læthale proponere pro materia dei, quod re vera non est materia. Hæc facient pro hac parte.

In contrarium tamen pro parte affirmatiua in primis videtur etiam esse auctoritas communis Doctorum, qui agentes de mendacio communiter requirunt ad læthalem malitiam mendacii, quod sit grauius perniciosum; quare obiter videntur supponere; vbi non est grauis perniciēs, mendacium esse solum veniale. In nostro autem casu mendacium non est perniciosum; supponimus enim, ex eo nullum auditorum incommodum, vel scandalum procedere, ergo non erit mendacium perniciosum & graue, sed officiosum, & leue.

Secundò, malitia grauis huius mendacii in eo esse posset, quod exterius te opponas contra diuinum testimonium negando veritatem obiecti reuelati, & per consequens implicite concedendo, Deum esse mendacem. Hoc autem non sequitur in nostro casu: nullatenus enim negas Deum esse sumptè veracem: non interius, vt suppono, neque etiam exterius, nam exterius non dicis aliquid esse verum, licet oppositum sit reuelatum; imò potius hoc esse verum, quia hoc est reuelatum, & per consequens iam fatetur, quod si oppositum esset reuelatum, esset etiam verum, ergo tollis fundamentum iniuriæ aduersus diuinum testimonium. Sicut si scires aliquid à Rege dictum, & tamen contentions causa defenderes oppositum, addens hoc Regem dixisse, & ideo hoc potius credendum; certe non videreris grauius offendere Regiam auctoritatem, & honorem debitum Regio testimonio.

Tertiò ponamus hominem habentem priuatam reuelationem suæ mortis; si hic interrogetur an habuerit eam reuelationem: quis dicat non posse eum negare sine peccato mortali? Ergo similiter poteris sine læthali negare Deum reuelasse aliquam circumstantiam alicuius historiæ, negando simul eam esse in sacra Scriptura: probatur consequentia, quia hæc circumstantia non magis refert ad auditores, quos habes, quam mors aliena, vt suppono, ergo sicut ille sine læthali potest negare mortem sibi esse reuelatam; sic tu sine læthali poteris negare illam circumstantiam esse reuelatam; nec illa deceptio erit grauis, sed leuis.

Vltimò, quia nimis durum videtur, & præter morem etiam timoratorum hominum, obligare Concionatorem ad referendas historias sacras adeo semper exactè & scrupulosè, vt nullam circumstantiam

circumstantiam quantumvis leuem possit sine culpa lethali variare. Pro quo videtur facere id, quod docet S^a verbo mendacium, num. 2. vbi sic ait: *mentiri in concione in pertinentibus ad doctrinam, quidam dicunt semper esse mortale, alij non semper; quod intellige si sit materia levis.* Imò Caietanus infra quæst. 110. art. 4. in fine planè docet, quod allegare vnum prophetam pro alio non est lethale: quod idem docet Nauarrus dicto cap. 18. num. 4. quia hoc est mentiri circa accidentaliam doctrinam. Ex hoc autem possumus arguere ad nostrum casum, quia de fide etiam est Isaiam v. g. dixisse talem prophetiam, ergo qui verba Isaiæ tribuit Hieremias, eo ipso negat materialiter aliquid pertinens ad fidem, scilicet verba Isaiæ non esse Hieremias, & tamen excusatur à mortali ob paruitatem materiæ, ergo similiter in nostro casu in quo etiam sensu accipiendum videtur quod cum communi docet Thomas Sanchez, lib. 2. in decalogum caput. 37. num. 9. peccare mortaliter eos, qui falsa miracula prædicant aut scriptis mandant: & quod Caietanus in summa verbo *Predicatorum peccata*, Nauarrus in summa, cap. 18. num. 5. cum aliis dicunt, fingentes gesta Sanctorum peccare mortaliter; nam hæc omnia ex leuitate materiæ possent aliquando esse venialia, vt si solum esset mendacium circa aliquam circumstantiam leuem. Denique in hoc sensu intelligendi videntur aliqui Auctores recentiores, nempe Sayrus in clauæ Regia statim citandos, & Alphonsus de Leone de Officio Confessoris, Parte 1. recollect. 7. num. 45. concedens, esse posse veniale in verbo leuissimo sapiente hæresim.

Ex quibus potest responderi etiam ad fundamenta partis aduersæ. Ad Primum negando, illam esse sententiam communem: nam licet Doctores loquantur aliquando generaliter, non tamen loquuntur expressè in nostro casu, in quo eorum verba possunt admittere exceptionem: nam eodem modo dicunt generaliter doctrinam falsam, seu mendacium in materia spectante ad mores, aut fidem esse lethale: & tamen nemo dicit, non posse dari mendacium leue in doctrina morum ob paruitatem materiæ. Adde, aliquos expressè insinuasce hanc exceptionem in materia fidei, vt de Sa, & Caietano visum est Nauarrus etiã dict. c. 18. postquam posuit regulam generalem, quod peccat mortaliter, qui mentitur in materia fidei, sacra scriptura, vel morum: limitat statim, & addit, hoc non procedere, quando sit vel solum propter multiloquium, vel alias sine animo, & periculo nocendi notabiliter, & persuadendi aliquod falsum alicui. In quo videtur contineri exceptio nostræ quæstionis. Quare eandem exceptionem intendisse videtur Sayrus in clauæ Regia, lib. 12. cap. 2. num. 19. dicens, in materia fidei potest esse peccatum veniale; potest enim esse tam leuissimum verbum, vt esset hæresis tantum venialis. Quod tamen vltimum explicatione indiget: nam si sit hæresis formalis, iam supponit dissensum internum, in quo non datur paruitas materiæ, quare debet intelligi de hæresi tantum materiali, & merè externa.

Ad Secundam, iam diximus, hunc non se opponere formaliter veritati diuinæ; non enim asserit, Deum falsum reuelasse coniungendo reuelationem cum falsitate, sed asserit aliquid esse falsum, asserendo simul id non esse reuelatum, & paratum se ostendens, ad mutandam sententiam

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina,

quando constiterit de contraria reuelatione.

Ad confirmationem de exemplo periurij, Respondetur non esse simile adhibere Deum testem alicuius veritatis, sicut adhibetur in iuramento, & dicere Deum aliquid dixisse: alioquin sicut non possumus licite iurare rem, cui solum probabiliter assentimur; nisi habeamus aliquam certitudinem, sic nec liceret dicere, Deum aliquid reuelasse sine lethali, nisi essemus certi de reuelatione; consequens autem est falsum; nam sæpè dicimus absolute; hoc est de fide: Deum hoc reuelauit, cum tamen sint opiniones probabiles inter doctores, an illud sit de fide. Ratio autem discriminis videtur esse, quod quando iuramus, significamus, nos habere talem certitudinem de obiecto, vt audeamus petere à Deo, vt sit testis illius; quod sanè esset grauis Dei iniuria, & dedecus, si in re ipsa esset periculum falsitatis, nam esset velle, & petere, quod Deus etiam nobiscum deciperet auditores. At verò quando sine iuramento per simplicem narrationem dicimus, Deum aliquid reuelasse, non eo ipso volumus, quod Deus id testetur, & decipiat auditores, sed nos ipsi soli volumus mentiri narrando reuelationem quæ non fuit, non adducentes Deum in consortium, vt nobiscum mentiatur. Ex quo fit vt viri timorati cautiùs loquantur, quando iurant, quàm cum simpliciter aliquid narrant, etiam si narrent historias scripturæ; Ad quod facit id, quod docent communiter Theologi in materia de iuramento de hac loquendi formula, *Deus scit hoc ita esse sicut dico*: docent enim, si hæc verba proferantur cum animo inuocandi Deum in testem & exigendi, quod asseret id, quod dicimus tunc esse peccatum mortale, si sint cum mentacio: si autem proferantur enunciatiue, asserendo, Deum hoc scire, tunc non sunt peccatum mortale, sed mendacium leue, quia tunc ego solus volo loqui, videatur Sanchez, qui alios refert lib. 3. in decalogum cap. 2. num. 2.

Ad tertium respondetur, eum, qui proponit adorandam hostiam non consecratam, peccare quidem grauitur, quia est causa, quod cultus debitus Deo tribuatur pani. At verò in nostro casu assensus, quem auditores præstant errori, non est cultus, qui tribuatur errori, sed veracitati Dei, quæ etiam per illum assensum colitur, licet obiectum materiale creditum falsum sit. Certum enim est, quod obiecto ipsi credito, nullus cultus defertur: alioquin coleremus Pilatum, quoties symbolum recitantes ipsum etiam de fide credimus.

Hæc possunt asserri pro hac parte, vt ostendatur in hoc posse excusari culpam grauem, præsertim si non frequenter, & ordinariè contingat; nam adeo frequens posset esse hæc variatio in circumstantiis rerum fidei, vt non parum derogaret auctoritati doctrinæ, & pareret contemptum magnum apud Auditores. Atque ita senserunt his rationibus conuicti plures, & graues magistri Salmaticenses, quos de hac quæstione consului, & pro ea videtur expressè stare etiam P. Salas 1. tom. in 1.2. tract. 3. disp. 4. sect. 2. num. 15. vbi asserit, non esse mortale aliquam falsam circumstantiam asserere in materia leui contra Scripturam ex negligentia etiam voluntaria. Quod verò neque illam asserere scienter sit mortale, docuit idem auctor obiter in manuscriptis huius materiæ in presenti art. 3. dub. 1. vbi ex eo probat, malitiam negationis fidei non consistere

Hh 3 in

in eo, quod Deum faciat fallacem, quia alioquin, inquit, mortaliter peccaret, qui ex industria, vel notabili negligentia referret aliquam Scripturæ historiam cum aliqua falsa circumstantia nihil referente ad dogmata fidei, vel ad mores, ut dicendo aliquem obiisse vno anno, qui obiit alio: consequens autem videtur falsum, & durum. Et postea addit. Existimo, non esse mortale negare exterius tantum veritatem fidei, quæ nihil referat ad honorem Christi, Dei, vel Sanctorum, vel ad mores, & quæ non sit dogma fidei, aut versetur in controuersia ac proinde nec ex eius negatione Ecclesia possit diuidi, vel turbari, aut aliud periculum sequatur, dummodo non appareat id dictum esse à Deo: sic enim id negando irrogaretur Deo grauis iniuria, quia existimaretur fallibilis, vel fallax. Hæc sunt verba prædicti authoris, qui magis in terminis, licet obiter videtur casum nostræ questionis attigisse, & hanc sententiam expressè defendere, in qua tamen sufficiat argumenta proposuisse, ut doctiores possint de re ipsa iudicium ferre.

SECTIO IV.

Quale sit præceptum affirmatiuum confessionis fidei.

52. **D**iximus, duplex esse præceptum circa actum externum fidei; alterum negatiuum non negandi exterius fidem, de quo egimus; alterum affirmatiuum confitendi exterius fidem, de quo nunc descendendum est. Et quidem cum sit affirmatiuum, non obligat semper, & pro semper, sicut obligat negatiuum, sed in certis casibus. Certum est autem, dari tale præceptum affirmatiuum, confitendi fidem, & non de solo iure humano, sed etiã diuino, ut constat ex verbis Pauli ad Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris: corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Vbi confessio fidei non ponitur necessaria ad iustitiam, sicut fides interna, quia non est medium necessarium ad iustificationem, sed ponitur necessaria ad salutem, sicut obseruantia mandatorum, sicut quærenti media necessaria ad salutem Christus respondit, *serua mandata*: quæ tota est necessitas præcepti. Quamuis autem hæc necessitas sit per se supposito hoc rerum ordine, in quo homo habet vitam socialem cum aliis, si tamen homo existeret solus in mundo, non videtur, quod tunc per se obligaretur ad manifestandam suam fidem per actus internos, nisi ad summum, quatenus obligaretur ad colendum Deum per aliquem cultum externum, qui consequenter esset iudicium suæ fidei de qua obligatione agitur in tractatu de religione, & non pertinet ad hunc locum, in quo de præcisa fidei obligatione agitur. Nunc tamen supposita vita sociali, & politica cum aliis, fides ipsa obligat ad sui manifestationem. Et quidem in ipsa petitione, & susceptione baptismi, debet quilibet adultus fidem suam profiteri, & de facto satis eam profiteretur, cum petat baptismum, quo ingreditur in Ecclesiam, & fidelium numero adiungatur. Qui autem in infantia baptizatus fuit, postea, quando venit ad usum rationis, & fides ei sufficienter proponitur, debet non solum eam corde suscipe-

re, & amplecti, sed aliquo etiam externo signo hoc ipsum manifestare, ut appareat se eam fidem retinere, cuius professionem in baptismo suscepit, ut notauit Suarez dicta diff. 14. sect. 2. num. 7. Ratio autem à priori esse potest duplex. Prima, quia Deus non vult de facto Ecclesiam solum inuisibilem, & mentalem, sed visibilem per vniuersum, & coniunctionem visibilem, ut fieret vniuersum corpus mysticum visibile animatum vno, & eodem spiritu inuisibili interno. Hæc autem coniunctio visibilis fieri non potest, nisi membra ad inuicem sensibiliter coniungantur inter se, quod fit, dum singula se se manifestant sensibiliter esse membra huius corporis mystici profutendo eandem fidem & religionem communem aliis membris. Secunda ratio esse potest, quia hoc ipsum exigitur à suprema Dei auctoritate, & maiestate. Cederet quippe in dedecus Principis, si nobilis in eius famulatum adscriptus, & famuli stipendia, atque emolumenta accipiens, ita conueteret occultò, & per interpositam personam acciperet, ut nulli de suo famulatu quidquam constaret, nec vllum prorsus famuli, vel obsequij signum erga Dominum exhiberet. Videretur enim dedignari Dominum, & erubescere professionem suæ seruitutis, quam etiam conseruis suis, & toti familie absque iusta causa occultam esse vellet. Quæ irreuerentia eò est maior aduersus Deum, quò infinitè maior Domini dignitas, & innumerabilia eius erga famulos beneficia, & merita illudum ab eis exigunt suæ professionem seruitutis & fidei erga Dominum infinitè excellentem, & cui tot sese nominibus obstrictos videtur.

Cæterum obseruantia huius præcepti nullam quoad praxim addit speciale onus: sit enim satis huic obligationi per opera aliorum præceptorum christianæ legis, præsertim per receptionem sacramentorum, auditionem missæ, ingressum in templi, recitationem precum, & alia opera christiana, quæ omnibus satis manifestant fidem internam, & licet non fiant ex illo motu speciali manifestandi, & confitendi fidem, non requiritur opus ex motu præcepti ad satisfaciendum præcepto, ut suppono, sed sufficit, quòd opus ipsum, quod ex alio fine obseruatur, sit de se manifestatiuum fidei. Sicut beneficiarius qui ex motu misericordiæ, & compassionis alios pauperes, satisfacit abundè præcepto religionis de expendendis in usus pios superfluis redditibus ecclesiasticorum, & sic de aliis.

Vnde inferitur, aliquos casus, in quibus doctores dicere solent, obligare specialiter præceptum hoc affirmatiuum confessionis fidei, non autem obligationem hanc speciale onus: ex ipsa virtute fidei, sed ex præceptis aliarum virtutum, quæ fidem debemus saltem implicite profiteri, quando debemus sacramentum aliquod suscipere, audire missam, recipere officium, adire templum, Eucharistiam adorare, imagines sanctorum, vel eorum reliquias colere, obseruare ieiunium, vel dies festos, & similia: hæc autem obligatio in his casibus non oritur ex virtute fidei, sed ex aliis præceptis, quæ seruari non possunt sine explicita, vel implicita fidei confessione.

His ergo casibus omissis, duo sunt casus, in duobus quibus obligatio confessionis videtur oriri ex ipsa virtute fidei alij sunt, de quibus dubitari potest, an obligatio confessionis tunc oriatur solum ex aliis virtutibus, an etiam ex ipsa virtute fidei, vel dei. Primus casus est, quando petitur baptismus, vel